

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Reinhard Heinrich Roll

**Theologorum Nostrae Aetatis Sine Controversia Principi, Jo. Fechtio, Academiae
Rostochiensis Rectori Hactenus Magnifico, Depositam Purpuram Gratulatur
Deque Professoribus, Quando Sceptra Tenuerunt Academica, Defunctis**

Rostochii: Schwiegerow, 1709

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833389823>

Druck Freier  Zugang



K.L - 453 (7.) <162>
K.L - 453 (7)

THEOLOGORUM
Nostræ ÆTATIS SINE CONTROVERSIA
PRINCIPI, TIB
JO.FECHTIO,
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS RE-
CTORI HACTENUS MAGNIFICO,
DEPOSITAM PURPURAM
GRATULATUR.

DE QVE
PROFESSO-
RIBUS,
QVANDO
SCEPTRA TENUERINT ACADEMICA,
DEFUNCTIS,
differit
M.REINHARD.HENRICUS
ROLLIUS,
Westph.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliss.
Senatus Typographi.
M.DCC.IX.

REVERENDISSIMO VIRO,
D. JOANNI FECHTIO,
Professori Theologo modis omnibus incom-
parabili, Sereniss. Ducis Meclnb. Regnantis Consiliario
Ecclesiastico gravissimo, Dicceceos Rostoch. Super-
intend. eminentissimo & Rev. FCtis Theol.
Seniori maxime venerabili,

S. P. D.

Ex libris

J. C. Haemmerlin



Agnificum Academiae Recto-
ratum multos inter dolores suscep-
tum quando letabundus hodie
deponis, Vir Magnifice, in gau-
dii Tui memet ingerere confor-
tum publicisque Tibi vocibus
exantatos felciter labores gratu-
lari sustineo. Et quā possim aliter? debeo isthanc pietatē
Tuis in me meritis, qvibz equivalent unquam à
me

me redditum iri totus despero: quid? virtuti debeo,
qua tantum in Te fastigium consecuta est, ut omnium
consensu ejus exemplum existat. Gratulandiverò qvod eligam argumentum, dum mecum ipse delibero,
splendidissimi, qvod hactenus gessisti, munera
Magnificentia primo statim loco occurrit: visa mihi
multò dignissima, circa quam, si tantum scribendo
valeam, penitus considerandam versarer. Sed fe-
rias hec mihi fecisse videbantur, quos jam olim di-
gnis evocendum laudibus sollicitos habuit id mune-
ris, eruditissimi Viri, Frid. Taubmannus & Thom.
Bartholinus, ille quidem in Hercule sive Rectore Aca-
demico; hic verò in Orat. de Rectoris Academicici di-
gnitate. Non tamen ab instituto me dimovisset il-
lorum opera, quamvis egregia; nisi Tuam, Vir sum-
me, Orationem de Dignitate & Magnificentia Re-
ctoratus Academicici, A. 1697. cum secundo Rectoratu
decessisse, habitam, Tuomet beneficio, quae incompara-
bilis Tua aduersus me humanitas est, perlustrare haud
pridem licuisset. In illa enim rem tam luculenta
deductam video tractatione, ut nihil addi possit am-
plius. Id ne frustra dixisse videar, potiora ex ea-
dem fundamenta, ut judicium ferri possit, pace Tua
huc transumam. Quae omnibus singulisque, cùm
in MSCto lateat, nec in publicum hactenus prodie-
rit pulcherrima Oratio, grata fore & accepta nihil
dubito. Hunc verò in modum suunt, Theologorum
Maxime, quae ante hos duodecim annos de materia
elegantissima in illustri Literatorum congressu differu-
isti. Academiæ Rector totius coetus literarii caput
est

est & princeps. Qvo itaque illustrior est Resp., cui
præst, eò etiam veneratione & honore excellere ult-
rò intelligitur. Est eqvidem inter Principes Euro-
pæ nostræ ea differentia, ut nonnulli in nudo Princi-
pum nomine acqvescant, qui nimur imperium
obtinent in subditos, nobiles ignobilesque; alii ad
Regum fastigium ascendunt, qvorum voluntati Co-
mites quoque Principesque, & Duces atque Marchio-
nes parent; alii denique Imperatoria gaudent majesta-
te, qvibus juxta Principibus & ipsi Reges sunt sub-
iecti. Academiæ Rector solo Imperatore, à qvo &
dignitatem suam cum Academia ipsa habet, quo-
dammodo minor esse & Regum majestati qvam pro-
ximè assimilari posse videtur. Nam & Rectoris di-
ctis, æque ac Regis, & plebeji obedientes sunt, & li-
teratorum filii parent, & nobiles Imperii eqvites ob-
qyuntur, & ipsi denique non Barones tahtum, sed Co-
mites etiam, immò Principes obtemperant. Qvot-
qvot enim Comites Principesque Academiis nomina
sua professi fuerunt, matriculis ideo civiumque ca-
talogis inserti, ii Rectori, non minus ac cæteri, ob-
seqvium promiserunt membraque facti sunt ejus cor-
poris, cuius caput est Rector. Nunc apud animum
vestrum expedite Auditores, qvanta isthæc dignitas,
qvanta magnificentia est, Nobilibus, Baronibus,
Comitibus, Principibus, imperare? Majestatis, qvæ
Regibus propria est, instar gerere? Ducibus, Land-
graviis Marchionibusque superiorem esse? Qvare &
qui his ipsis titulis præfulgebant, cum civium Aca-
demiorum numero adscriberentur, summo sibi ho-
nori

nori duxerunt, si in Academis Rectors & ipsi eligerentur cœtumque tam liberalem, tam ingenuum, gubernarent. In hac Academia Rectoris dignitatem suscepereunt Balthasar, Dux Megapolitanus, A. 1467. Ericus, Dux Megapol., A. 1499. Wolfgangus, Comes de Erberstein, A. 1509. Wilhelmus, Dux Luneburgensis, 1575. Jo. Gustavus Rosa, Comes in Bösun, 1576. Jo. Cyriacus, Lib. Baro in Bolheim, 1577. Wilhelmus, Dux Curlandiæ, 1591. Ulricus, Hæret Norwegiæ, Dux Slesvici & Holstiæ, 1592. Augustus, Dux Brunsvicensis, 1594. Udalricus, Dux Stettino-Pomeranus, 1602. Tales olim Illustri & Augustissimo genere nati non defugerunt Academiæ nostræ tenere habendas & in Rectorum Academicorum consortium nomenque accedere. Qvare & sceptra argentea, regium insigne, Rectoribus præferuntur; non qvod regiam summamque gerant potestarem (hanc enim qui iisdem adscribat, stolidissimus sit adulator), sed qvod regimen exerceant, ad formam & similitudinem Regii Imperii compositum. Probè hoc intellexit Ferdinandus, Hispaniarum Rex, Avus Imperatoris Caroli V. Venit is in Academiam Complutensem, cumqve Rectori cum Patribus Academiæ in Regis occursum progradienti sceptra præferrentur, Rabduchi verò Regii, qui & ipsi sceptra gerebant, intentâ voce Rectoris ministros inclamarent, ut Academica sceptra vel submitterent vel depонerent, humanissimus Rex, nihil cā re majestatem suam minui sentiens, Academicos solito more procedere jubet: *Musarū, inqviens, illas ædes esse, in qvibus fas*

poscebat, ut Musarum sacris initiati regnarent. Sed & dignitatem haud vulgarem Rectori conciliat, qvod vel qvorsumcunqve egreditur, vel certe ad actus officio Rectorali proprios, perpetuo vestigia ipsius premunt & ad execvenda mandata praeflendaque servitia prompti eutidem comitentur. Accensi sive Bidelli, nonnullibi locorum, utpote in Academia Montpelienensi, etiam studiosi qvacunqve de causa egredientem comitari honoris gratia coguntur. Quid verò dicemus de nostra hac Academia, in qua Rectribus Augustissimi Principes Meclenburgici id admirandi planè & haud facile alibi auditи honoris decus concesserunt, ut praeceant in Academiae Actibus ipsos Principum Legatos? Mittit Princeps duos Legatos, alterum, qui Principis & Patroni, alterum qui Cancellarii personam representet. Ultrumqve praeedit Rector. *Et post multa:* Nos interea honoris argumenta, que summam Academiae Rectori dignitatem conciliant, perseqvemur. Inter hæc Magnifici Titulus est. Magnificum appellamus, qvicquid est lautum, splendidum, illustre. Ea causa est, cur primitus nonnisi Imperatores Principesque Magnificorum nomen gesserint, qui deinde ipsi idem nomen ad viros aularum suarum & curiarum illustres, ceu in civilis juris corpore exempla non exiguo numero occurrunt, transtulerunt. Academiarum verò Rectoribus ita tenaciter hæsit hoc nominis decus, ut & ab ipsis Collegis suis citra omnem dubitationem hoc titulo compellentur. In Rebus publicis liberis, e. g. Argentorati, civitatis consules,

les, si vel piperis tantum aut papaveris sint venditores, graffiorum vocabulo nobilitantur. At quicquid id est augusti nominis, à civibus tantum, non à collegis suis aut ejusdem Senatus Assessoribus recipiunt. In Academia vero & Professores & cives alii honoratiores quievunqve, si vel maxime Comites sint aut Barones, Magnifici compellationem Rectori suo non denegant aut invident. *Et rursus quibusdam interiectis:* Sed revertimur ad Rectoris dignitatem auctoritatemque, quam non parum auget, quod & cognoscere causas omnes & easdem decidere atque sententiam vel per se vel prævio Concilio Senatus consulto ferre, sed & eandem exequi, vi, si opus sit, adhibitâ, possit. Huic enim fini vigiliū praefectus jurejurando se Rectori obstringit, paratus ad mandatum ipsius militum adducere manum & edictis ipsius auctoritatem conciliare. Et ne quid Rectorali existimationi ex quacunqve parte desit, constitutum lege est, ne Rector, durante ipsius Rectoratu, nisi ubi presentissimum Academie ex ipsius regimine imminet periculum, in jus possit vocari. Adeò sacrosancta Rectoris est persona, quam illam illibatamque usquequaque conservari omnes etiā quum judicant & justum. Desinam de honore Rectori Academie debito commentari, si de extremo quoque, quod eidem, si mori illum in Rectoratu contingat, impenditur, officio aliquid adiecero. Ducenti septuaginta & octo anni sunt, ex quo Martini V. Pont. Max. indulgentia hæc doctrinarum officina, Academia Rostochiensis, erecta fuit. Ex

illo tempore septem Academiæ Rectores, dum Re-
ctoratus officium obierunt, excesserunt è vita. -- Re-
ctoralia hæc funera magnifico, ut par erat, appa-
ratu fuerunt elata. Invitabant duo Programmata.
Conveniebat universus civium cœtus. Ad latera ca-
puli, in quo exanimè corpus efferebatur, incedebant
ex Senatu Academicò qvatuor Facultatum Professo-
res, una cum duobus Doctoribus, qvi Professorum
ordini non erant allecti. Anteibant Feretrum Mini-
stri Academiæ, ferentes Sceptra Academicæ, nigrâ
findone cooperta, ita ut apices eorundem terram re-
spicerent. Qvo indigitatum fuit, in tellurem nunc
recondi & ex hominum oculis evanescere, qvi Aca-
demia hastenus vitam quasi dederat motumqve. Se-
quebatur pullatus Studio forum grex, Rectorem Do-
minumqve suum non lacrymis tantum sed lessibus,
ad tabulam publicam affixis, prolixissime luduoso-
simeqve deflens. Ita nec in ipsa morte inculti inh-
noratiqve esse debent, qvi, dum viverent, amplissi-
mis qvibusvis ornamentis & dignitatibus prorsus
magnificis fuerunt honestati &c. Paucula sunt hæc,
Vir Reverendissime, ex multis de argomento illo abs-
Te in medium proletis selecta. Qvibus quid splen-
didius dici poterat? quid limatus? quid exactius?
Non puto, vel ullum in iisdem qvicquam desidera-
turum. Tantum abest, ut à me aliquid adhuc su-
peraddi posse mibi persuadeam. Mutatā itaq; men-
te hanc de tempore materiam, quam presentis Com-
mentarijuncula rubrum designat, elegi. Recorda-
bar scilicet, ante hos sex menses, quando publica
solemnitate

Solemnitate in humeros Tuos Academiae moles devol-
ebatur, lectulo Temet affixum maximisqve afflictum
doloribus, (ut Pro-Rector etiam, qui fasces Tui lo-
co susciperet, opus fuerit) non sine lacrymis me conse-
xisse, seriis optimum & maximumque Numen pre-
cibus veneratum, ut Rectoratu decedere Tibi liceret
incolumi. Cumque votis jam responderit eventus,
haud incongruum fore putavi, si Rectorum in Magi-
stratu Academico defunctorum Syllabum observan-
tie causa Tibi exhiberem. Suscipe quæso, Vir Ma-
gnifice, ceu gratitudinis summaqve, quâ Te prose-
quor, venerationis qualemq; tesseram, labo-
rem isthunc levidensem eundemq; non ex propria,
quâ nullâ gaudet, dignitate aestima, sed ex animo of-
ferentis, Tibi devinclissimo. Sospitet Te quam diu-
tissimè potentissimus rerum omnium moderator, faxi-
que, ut sepius posthac Magnificum Temet Rectorem
illustris hec Academia veneretur. Quod sicut, ut me-
rita Tua prorsus immortalia immortalibus cuncti e-
logiis perpetuò sint celebraturi. Vale, Vir Summe,
ulteriorique, quod facis, patrocinio complectere

Reverendissimi Nominis Tui

Rostochi è Museo

d. XV. Octobr.

M.DCC.IX.

Cultorem devotissimum

M. REINH. HENR. ROLLIUM.

§. I.



Nter Professores, qvando
Sceptra tenuerunt Academica,
defunctos primum Alphabetica
serie locum sibi vendicat JO-
HANNES ALBERTIUS, Da-
nus, in Rectoratu, qvo Doctor
& Professor Theologus in Uni-
versitate Hafniensi fungebatur, Anno supra millesi-
mum qvingentesimum nono & sexagesimo, Aetatis
suæ qvarto & quadragesimo, denatus. Fidem ejus rei
faciet Jo. Möllerus, Flensburgensis, V. C., cuius in
Hypomn. ad Bartholini librum de Scriptis Danorum,
in Bibl. Septentrionis erudit., Lips. M.DC.XCIX. 8.
edita, secundum locum obtinentibus, pag. 260. seq.
hæc lego verba: *JOH. ALBERTIUS, Danus, An-*
no 1525. natus, Lingua Graecæ initio, dein Dialect.
& post Theol. (ab Anno 1558) Professor Hafniensis
simulq[ue] Petri Palladii (de quo vide Erasm. Vindin-
gium in Acad. Hafn. p. 63. seqq., Harald. Huitfeldium
in Chron. Episc. Dan. p. 48., Paulum Freherum in
Theatro Virorum erud. claror. P. I. p. 181. 182., lau-
datum Möllerum in Hypomn. ad Bartholinum p.
384. seq. & in Isagoge ad Hist. Chersonesi Cimbr. P. I.
c. XII. §. IV. p. 181. 182. edit. Hamb. M. DC. XCI. 8.)
in Episcopatu Ræskildensi ab Anno 1559. Coadjutor
& ab A. 1560. successor, in ACADEMIAE RECTORA-
TU d. 25. Maii A. 1569. et. 44. extintus, fusus è
Programm. Fun. celebratur à Vindingio in Acad. Hafn.
p. 83. 84. 85. Epitaphium post illum exhibuit Pet.
Resens.

Resenius in Inscript. Hafn. p. 30. Conf. Huitfeldii Chron. Episc. Dan. p. 48. Ex Scriptis ejus Dispositionem trium concionum ex Hof. XIV. penitentialium, eamque solam, citat Alb. Bartholinus in libro de Scriptis Danorum, cui primum in Bibl. Sept. erud. locum assignavit eruditissimus Möllerus, p. 67. A Claudio verò Lysandro, Christiani IV. Danorum Regis Historiographo, Theses qvoqve de unico Mediatore & Hymnos Danicos, qvadām sui parte Jo. Thomae Hymnologio Danico insertos, eidem tribui observat Möllerus in Spicilegio Hypomn. ad Bartholini librum, ipsis Hypomnematis subiuncto, p. 21.

§. II. Secundo collocandus est loco CA-
SPAR BARTHOLINUS, Malmogiae Scanorum se-
culi sextidecimi anno LXXXV. in lucem editus. Qui
adeò præcocius fuit ingenii, ut tres natus annos libellū,
qvem vocant, alphabetarium & præcipua Religionis
Christianæ capita ambitu suo complectentem 14. di-
erum decursu non tantum legere didicerit, sed penitus
edidicerit. Imò, qvod magis sanè mirandum, cum
fari primum inciperet, integrō prope anno vocibus u-
sus fertur, diversis planè ab his, qvas tenellis suis aurib-
us aut à parentibus aut à nutrice aut ab ullo magistro
hauserat. Qvæ commemorans summus qvondam
Hafniensium Theologus, Casp. Erasm. Brochmandus,
in Orat. parentalı, apud Wittenium in Memoriis
Medicorum renovatis p. 50. 51., auritos ejus rei adesse
testes asserit Viros qvoscā doctos & lingvarū peritos,
expensis paulò diligentius vocibus, à Bartholino
puero prolatis, ultro confessos, vocatione istarum haud

paucas

paucas cum Hebræa lingua exactè convenire. Atque
 hac in infantili ætate contigerant. In ætate pueri-
 li qvanta præstiterit Noster, Brochmandianis, qvam
 nostris, enunclare malumus. Hunc verò in modum
 I. c. p. 51. ista fluunt: *Crescentibus paulatim annis i-*
gnei ingenii stricturæ magis magisque emicuerunt.
Nondum enim tredecennis Orationem Latinam &
Græcam eleganter condebat istosq; eâ ætate fecerat
in arte dicendi progressus, ut de qvovis argumēto
etiam memoriter peroraret. Logicam etiam hâc
æstatulâ probe callebat, adeò, ut si vel qvispiam æ-
tate proiectior litem ipsi intentaret de qvæstionibus
logicis, etiam subtilioribus, adversarium inveniret,
imberbem qvidem, sed non imbellem. Studiis e-
qvidem Academicis jam tum fuerat aptissimus, sed
parentum consilio, interjecto aliquot annorum spa-
cio, Hafniæ eadem est auspicatus, Rostochiï verò
& Wittebergæ continuavit, in posteriori Academia,
qvam dudum meruerat, Docturam Philosophicam vi-
cennis consecutus. Posthaec itineri se accinxit li-
terario cultioremque Europæ orbis partem, Ger-
maniam scil., Galliam, Angliam, Belgium & Ita-
liam peragravit. Inde recusatâ apud Sedanenses
Græcarum Litt. Professione, apud Neapolitanos ve-
rò Anatomica, Universitatem Hafniensem, cum in
Basileensi Medici Doctoratus honoribus ornatus ante
fuisset, repetiit: in qva Lingvam Lat. ab A. M. DC.
XI., Medicinam ab A. XIII., Theologiam vero (cu-
jus & Doctor publicè renunciatus est) ab A. XXIV.
Ordinarius Professor docuit, ad annum usq; XXIX.
cujus

eujs medio jam superato, secundum sustinens ACADEMIÆ RECTORATUM, animam Salvatori suo reddidit. Vel solum id confirmat Brochmandianæ Orationis rubrum, qvod seqventibus apud Wittenium p. 48. conceptum est verbis : *Curris & eqvites Israëlis.* Hoc est : *Vita & mors Dn. D. Casp. Bartholini, insignis Philologi, celebris Philosophi, Medici scriptis & praxi notissimi, Theologi magni, ACADEMIÆ HAFNIENSIS iteratò RECTORIS MAGNIFICI, Viri ad exemplum usque probi & pii, publicâ Oratione celebrata in Acad. Regia Hafn. d. XXV. Julii Anno 1629. à C.E. Brochmando.* Plura vide apud eundem Brochmandum, Erasmus Vindingum in Acad. Hafn. p. 244. seqq. & Möllerum in Hypomn. ad Bartholinum de Scriptis Danorum p. 174. seqq.

§. III. Patrem comitetur, non illò inœl brior, Filius, THOMAS BARTHOLINUS, idem quippe cum parente fatum expertus. Exactis ille in Regia Hafniensi, quæ superioris seculi anno XVI. nascenti cunas præbuerat, humanioribus, ut vocant, studiis, Philologiæ, Philosophiæ & Theologiæ, cum primis autem Medicinæ tantò se dederat ardore, ut, juvenis licet unius vix & viginti annorum, non jam alumnū, sed enumeratarum scientiarum Consultum agere posse videretur : cum paternò excitatus exemplo exteris quoque adire provincias firmiter apud annum constitueret. Lugdunum ergò Batavorum omnium primo petiit, ibidemque per aliquod temporis intervallum celeberrimorum Virorum consuetudine

tudine usus, Galliam intravit, consumtoque in ipsius
Parisiensi præsertim ac Montpelieni Academiis bi-
ennio, Patavium Italorum concessit. Heic per tri-
ennium commoratus, eruditissimorum hominum a-
deò in se convertit oculos, ut Consiliarii primum
Nat. Germ. ac deinceps Pro-Rectoris dignitatem ab
Academia istius Theologis, Medicis ac Philosophis,
tum & locum inter socios Academæ incognitorum
Venetæ, à Joanne Franc. Laureano, ejusdem mo-
deratore, promeruerit. Româ postmodum alisque
Italiæ urbibus insignioribus, qvin & Siciliæ regno
(in cuius urbe Messanensi Philosophie Professionem
oblatam Nostro fuisse memoratu dignum est) ac Me-
lite insula penitus lustratis, Basileam venit, unde,
summis in arte salutari honoribus A. 1645. ornatus,
per Galliam, Belgium & Germaniam 1646. in patriam
remigavit. In hac anno statim subseqente Profes-
sioni Mathematicum, unóque interjecto Anatomicæ,
& post Olaum Wormium 1654. Collegii Medici Deca-
natui perpetuo admotus aliisqve insuper officiis, post
factam in prædio suo Hagededeni, Hafniæ vicino, Bi-
bliothecæ jacturam, auctus, decepsit Anno supra mil-
le sexcentos octogesimo, & qvarto quidem fungens
Academiæ Rectoratu. Provoco ad J. Möllerum in Hy-
pomn. ad Barthol. librum p. 421. & Henningum Wit-
tenum, cuius in Diario Biogr. ad annum 1680. Rrrr.
I. hæc sunt verba: *IV. Dec. THOMAS BARTHOLI-
NIUS, Danus, Hafniensis, Phil. & Med. D., in Aca-
demia patria primo Mathematicum, dein Anatomicæ
Professor, tum FCtis Med. Senior, demum Prof. Ho-
norarius,*

norarius, Archiater regius, in supremis Justitia Curia Assessor atque eō tempore ACADEMIAE HAFNIENSIS RECTOR, et at. 64. Plura de eo lecturis satisfacient Wilhelmi Wormii, Olinger Jacobae & Georgii Hannaei, Med. Facultatis Professorum Hafniensium, Orationes in ejus excessum habitæ, Erasmus Vindingius in Acad. Hafni. p. 378. seqq. & cuī nostra debemus, Jo. Möllerius in Hypomn. ad Bartholinum, l. c. Qvi p. 417. 418. sequentem in modum in laudes nostri excurrit: Thomae Bartholini, Senioris Medicorum nostræ etatis Primicerii, Anatomie Statoris, Scrutatoris naturæ solertissimi, Oratoris disertissimi, Poëta & in Latino & Vernaculo idiomate ingeniosi, Antiquarii insignis & Polyhistoris maxime atque laboriosissimi, nec ob solam doctrinam, sed per rem etiam ipsi vita morumque integratatem commendandi, merita in Literas celebriora sunt, quam ut laudibus nostris indigeant plura autem, quam ut re censu, quale instituti nostri ratio exigit, breviori que ant enumerari. Nomen certè inter Literatos illustrius, si Tych. Braheum excipias, neque Dania, in qua ipso superstite studia Medico-Anatomico-Physica ab eo & discipulis i^zoxwnegis, Mich. Lysero, Georg. Segero, Henr. Moinichenio, Mart. Bogdano, Wilb. Wormio, Olao Borrichio, Nicol. Stenonia, Olinger Jacobeo, felicissimè exulta, ad invidiam usq; Gentium Europæ reticvarum floruerunt, neque universus ostendare potest Septentrion.

§. IV. Succedit DANIEL BECKERUS, Remontanus, ab anno superioris seculi tertio & quinquagesimo usque ad septuagesimum in Academia patria

tria Medicinæ Professor ; qvem fasces gerentem Re-
ctorales ad plures abiisse testatur Senatus Academicus
in Progr. funebri , apud Wittenium in Memoriis
Med. Dec. II. p. 177. in hæc verba : *Sed nec defecit
eum fortuna in Promotione , qvando Serenissimi pro-
pitiæ voluntate Anno 1653. Professor Ordinarius
atqve dehinc Anno 1663. Consiliarius atqve Ar-
chiater constituitur , qvibus provinciis summâ fide
atqve dexteritate non solum defunctus , sed & de-
fluente illo tempore septies ECtis Medicæ Decanus ,
bis autem Magnificus Academie Rector , in quo
splendido atqve pompatico honore vitam finiit , est
salutatus . Qvod idem vel ipsa Programmatis in-
scriptio , apud Wittenium l. c. p. 171. reperiunda ,
confirmat , cujus hæc est summa : *Ad honorificam
funerationem Viri Nobiliss. Excell. Ampliss. atqve
Experientissimi , Dn. Dan. Beckheri , Med. D. e-
jusdemqve Prof. celeberrimi , Sereniss. Electoris
Brandenburgensis Archiatri atqve Consiliarii , ACA-
DEMIÆ nostræ inter hos dies RECTORIS MA-
GNIFICI , cives suos invitat Pro-Rector atqve Se-
natus Academie Regiomontane . Confer eundem
Wittenium D. B. Tom. I. ad ann. 1670. De cætero
qvando eidem Viro docto in Memoriis p. 178. seq. in-
ter scripta nostri referuntur: Spagyria Microcosmi , tra-
dens Medicinam è corpore hominis tum vivo tum ex-
stincto doctè eruendam , scite præparandam & dex-
tre propinandam : De cultrivoro Prussiaco Obser-
vatio & curatio singularis , Decade positionum , va-
riis variarum observationum historiis refertarum ,**

illustras-

illustrata: Medicus Microcosmus, & Anatomia infimi ventris, XII. Disp. delineata; induci non possum, ut credam, eorundem illum esse Autorem. Natus enim est anno demum 1627. prius verò scriptum, ipso indice Wittenio, editum Rostochii 1622. 12. & triplo dein auctius & correctius Lugd. Batav. 1633. 4. secundum Regiom. 1636. 4. Lugd. Bat. 1638. 8. & Germanicè Regiom. 1643. 12. tertium Lugduni 1633. 4. & deinceps Londini 1660. 12. qvaratum denique Regiom. 1634. 4. Ut indubium mihi sit, cum patre cognomine Nostrum à Wittenio confusum istiusque scripta huic tributa. Atqve hoc eò confidentius ad severo, qvod ipsummet Wittenium D. B. T. I. ad ann. M. DC. LIII. lit. Eee. 3. b. Dan. Beckherum, patrem, laudatorum scriptorum Autorem constituere videam. Idem amplius elucescit ex Epigrammate in Beckherum patrem, Gedanensem qvippe, confessum, qvod tanquam in filium scriptum, p. 178. seqventis exhibet tenoris Wittenius:

*Beckherum ecce tibi, Lector! quem clara
dissentum.*

Produxit Gedanum Prussidos Hippocratem.

§. V. Proximum à Beckhero locum occupat JACOBUS BORDINGUS, Antverpiensis, Ling. primum Græc. & Hebr. Parisiis in Collegio Lexoviensi Prof., post Scholæ Carpenctoratensis præfectus, porrò Med. D. & Practicus Hamburgensis, inde Professor Medicus & Archiater Ducalis in Acad. Rost., postremò ejusdem FCtis Ordinarius Hafniensis; cuius Academiæ gerens Magistratum mortalis esse desit

A. 1560. Audiamus Möllerum, qvi ita in Hypomn. ad Barthol. lib. de Script. Dan. p. 247: *Hafniam An. 1557. à Christiano III. R. Daniæ evocatus, Aulae & Academie utriq[ue] doctrinam ac fidem suam approbavit & in HAFNIENSIS tandem RECTORATU quinq[ue]agenarius d. 5. Septemb. Anno 1560. decepsit.* Qvanti virum fecerit Melanchthon, vel ex eo patet, qvod Orationem ejus in obitum Christiani III. habitat & Hafniæ 1559. in 4. excusam, Wittebergæ eod. anno in 8. recudi fecerit. Vide Möllerum Ifag. ad Hist. Cherson. Cimbr. P. I. c. XII. p. 181. seq., qvi in Hypomn. I. c. prolixiorum de nostro tractationem promittit, in Cimbria Literata aliquando suppeditandam. Vide interim, eidem quoque commemoratos, Jo. Spithovium, Phys. Prof. Hafn., in Orat. funebri, Er. Vindingum in Acad. Hafn. p. 95. seqq. Melch. Adamum in Vitis Medicorum Germ. p. 101. seqq. Thom. Bartholinum in Cista Med. locul. IX., Franc. Sweertium in Athenis Belg. p. 357. Val. Andr. Desselium in Bibl. Belg. p. 403., Paul. Freherum in Theatro Eruditor. p. 1247. seqq., alios.

S. VI. PETRUM BOYE, Phil. & Decret. Doctorem in Acad. Rostoch. & Archi-Diac. in Eccles. Zverinensi, in Rectoratu A. 1542. decepsisse, credere nos jubet Matricula Academiae Rostoch., in qua hæc consignata reperiuntur: *A. 1541. in die S. Tiburtii fuit electus in Rectorem Universitatis venerabilis & circumspectus vir, D. Pet. Boye, sub quo Rectore inscripti sunt, &c.* Et mox: *A. 1541. die S. Ursulae fui ego Doctor Pet. Boye continuatus Rector usque*

usqve ad futurum Pascha, sub qvo Rectoratu intitulati
hos, qvorum nomina sequuntur. Post illa hæc
adjecta sunt: Dn. Doctor PETRUS BOYE OBIIT IN
RECTORATU suo Anno Domini 1542. M. Andreas
Eggerdes, electus in locum defuncti, suos inscripsit
& testimonium approbavit.

S. VII. Jam ordo nos ducit ad JOHANN.
EBERHARDUM BUSMANNUM, Verdensem,
Theologum Helmstadiensem. Quem in Pro-Re-
ctoratu Academæ Magnifico A. 1692. d. 18. Maji
defunctum sufficienter comprobat funebre Program-
ma Vice-Pro-Rectoris & Senatus Academæ Julieæ
(quod Memoriis Theologorum intulit celeb. Pippin-
gius, Tom. III. Dec. VIII. p. 1326. seqq.) cuius initio
hæc leguntur: *Non vulgare vulnus, sed ad interiora
penetrans, inflxit dies mensis hujus post decimum
octavus, qvō ingenti suorum luctu & non minore cùm
Academie tūm Ecclesia malo Vir Magnif. & Maximè
Rev. Dn. Jo. Eberb. Busmannus, S. Theol. D. & Prof.
celeberrimus, Helmstadiensis & vicinarum Ecclesiarum
Superint. Gen. nec non ACADEMIAE JULIAE
b. t. PRO-RECTOR, rebus humanis excedens,
hanc exequias vobis indicendi necessitatem imposuit.*
*Quintus jam agitur mensis, ex qvo concordibus Se-
natus nostri suffragiis electus, à Serenissimis Ducibus,
Dn. Rudolpho Augusto & Dn. Antonio Ulrico, clemen-
tissimè confirmatus, bonis omnibus applaudentibus,
cum sceptris Academicis Reip. nostræ literariæ admi-
nistrationem suscepit, & universo Collegio parem dex-
teritatem atque prudentiam probavit, quâ gemina vi-
ce eodem munere feliciter antehac defunctus erit. Ad*

finem properante semestri , cùm de successore , in cuius humeros cum splendida dignitate tantum onus devolveretur , proximæ consultationes instituenda es- sent , febris ardore correptus & post paucos dies pror- sus extinctus , cum fascibus vitam depositus .

§. VIII. Pergimus ad JOHANNEM CHE-
SNECOPHORUM , (Chresnecophorum Wittenio dictum) Suecum , Academiae Upsal. Prof. Medicum eximum : cui Rectorales gerenti fasces fatalem exti- tisse annum superioris seculi quintum & tricesimum , ex his liqvet Cl. Wittenii verbis , qvæ lego D. B. T. I. ad ann. M.DC.XXXV. lit. Hh.i.b,D.i. Mart. Joha- nes Chresnecophorus , Svecus , Nericius , Med. Do-ctor ejusdemque Prof. Upsaliensis , b. t. ACADEMIÆ RECTOR. Vitam ejus & merita Oratione parenta- li , eod. anno Upsal. in fol. edita , fusè delineavit Henr. Hecynthius . Cui adde Jo. Loccenium Orat. fun. Pet. Kirstenio sacræ sub initium , & celeb. Möllerum Hypomn. Historico-Crit. ad Jo. Schefferi Sue- ciā literatam (ultimum in Bibl. Sept. erud. locum , adeptis) p. 383. seq. De Scriptis consule Schefferum in Suecia lit. apud Möllerum in Bibl. cit. num. IV.p.92. 93. & Wittenium loc. all.

§. IX. JOHANNEM COTHMANNUM , Westphalum , inter Theologos Rostochienses po- stremō haudquaquam loco collocandum , eōpse , qvo Academiæ tenebat habendas , tempore in cœlestem A- cademiam evocatum , non pauca sunt , qvæ confir- ment , documenta. Producam unicum , sed omni majus exceptione , qvod in Academiæ Rostochiensis Matricula

Matricula ad annum M. DC. L. seqventis legere licuit
itenoris: Jo. Cothmannus deposito nondum, tamet-
si ad finem tendente Magistratu suo, die Dominicā,
qua erat VI. Octobris, cum ad sacra pomeridiana in
templo peragenda, Ministris Academiae stipa-
tus, procederet, repentinō eheu langvore cor-
reptus, placide exspiravit. Sit anima ejus in
pace! Sextus ille Rectorum est, qui in ipso regimi-
ne demortui, Magnifica sepultura honorati sunt.
Ad latera capuli, in quo exanime ejus corpus effe-
rebatur, incedebant iuxta decretum Rev. Concilii,
ex Senatu Academicō Professores 4., nempe D. Casp.
Mauritius, Theologus, D. Henr. Rhane, ICtus, L.
Laur. à Bodock & L. Jo. Corfinius, uterque Philo-
sophus, ille Oratoria, hic Physices Metaphysicsesque
Professor, adeoque unus ex singulis FCtibus, ita,
ut absentiam Medici alter Philosophorum pensaret;
& præterea duo Doctores non-Professores, Conr.
Schuckmann, J. II. D. & Jo. Bacmeisterus, Med.
D. Capulum antecedebant Curores sive Academice
Ministri, preferentes eidem Sceptra Universitatis,
sindone nigra induta ac testa, apicibus eorum ter-
ram respicientibus. Hac peracta sunt die 10. Octo-
bris. In hujus pie defuncti locum ad breve tempora-
ris spaciū, quod restabat, die 6. Octobr. & sic
triduo ante electionem novi Rectoris, eodem anno
1650. auctoritate Rev. Concilii electus & surroga-
tus est interea Rector Universitatis hujus Hermans.
Schuckmannus, Theol. D. & Professor. Plane me-
morabile est, ipsummet Cothmannum eo, quo elec-

B 3

ctus

Etus fuerat die præagiisse, magnifice semet sepultum
 iri, in ipso qvippe Magnifici Rectoratus munere ex
 hac mortalitate evocandum. Audiamus Senatum
 Acad. Rost. in Progr. fun. apud Wittenium in Me-
 moriis Theoll. renov. Dec. VI. p. 748. *Sextum*
 (inter Rectores Universitatis Rostoch. in Rectoratu
 defunctos) *Magnifice, prout sibi ipsi, Rev. teste Con-*
cilio, cum ipso Paschatos die Rector eligeretur, o-
mniibus fere membris tremens, non sine copiosissimis
lacrymis, Propheta fuit, Magnifice, inquam, se-
peliendum efferimus Plur. Rev. Clarissimum & Excell.
Dn. Jo. Cothmannum, SS. Theol. Doct., Professo-
rem & FCtis Seniorem. Plura vide apud Jo. Bernh.
Zinzerlingium in Fastis Rectoralibus Laciburgicis
ad annum 1650., Magnif. D. Jo. Nic. Qvistorpium
nostrum in Programm. Natalit. 1700. propos. ad e-
undem annum lit. B. 3. b., Freherum in Theatro P.
I. p. 553., Excell. D. Grapium im Evangelischen Ro-
stock p. 455. seqq. 507. seqq. & 557., H. Wittenium
D. B. T. I. ad ann. 50. lit. Aa. 2. a. Königium in
Bibl. p. 217. seq. &, si lubet, in Diss. nostra de Me-
ritis Westphalorum in Academiam Rostoch. 1707.
heic loci habita, Sect. I. p. 13. seq.

§. X. JACOBO EBERTO, Silesio, Theo-
 logo Francofurtano, à Phil. Labbeo in Bibl. Bi-
 bliothecar. p. 150. & ex eo Ant. Teisserio in Catal.
 Catalogor. p. 142. falso adscribi Theod. Eberti, Fi-
 lii, in ead. Acad. Ling. S. Prof. 1630. denati (de
 qvo & videri potest Königius, p. 267.) Chronolo-
 giam præcipuorum Lingvæ Sanctioris ab O. C. ad
 suam

suam usque etatem Doctorum, Francof. ad Viadrum 1620. 4. excusam, notavit diligentissimus Homonymoscopiae scriptor, Jo. Möllerus, p.m. 667. Non est propositum nobis, in praesenti de ejusdem scriptis esse sollicitis; hoc tantum notamus, qvod superioris seculi anno XIV. extinctus fuerit in Academiæ constitutus regimine. Testem ejus rei produco Wittenium, qui D. B. T. I. ad ann. M. DC. XIV. lit. L. 2. b. hæc consignavit: *V. Febr. Jacobus Ebertus, Germanus, Sprottavensis Silesius, Phil. & Theol. D., initio Ling. S., inde Ethices, tandem Theol. Prof., quarta vice RECTOR ACADEMIE VIADRINÆ, Æt. 65.*

§. XI. Ex Theologis Argentoratensisibus, qvos à Lutheri reformatione ad nostra usque tempora habuit Academia ista consummatissimos, Professoribus, qvando purpura fulserunt Academica, defunctis adnumerandus venit JOHANNES FAUSTIUS, Argentoratensis. Hunc enim, qvo Universitati prærerat, tempore mortalitati valedi xisse, ex Progr. fun. Joh. Joach. Zentgravii, constit uti in ejus locum Pro-Rectoris, intelligo. Cujus hæc sunt initialia verba, apud Pippingium in Memor. Theol. Tom. II. Dec. V. p. 603. seq. *Luctuosum & lamentabile funus vobis indicere jubeor. Lugete, Civies Academicci, lugete! RECTOR NO STER MAGNIFICUS MORTUUS EST! Vir maxime Rev. Ampliss. & Excell. Dn. Job. Faustius, SS. Theol. D. ejusdemqve P. P. celeberrimus, Capituli Thomani Decanus meritissimus & Collegii Wilhelmitani In-*

Spector vigilansissimus. --- Mens hæret, stupet tremitque calamus, labentibus ex oculis guttulis magis, quam atramento madidus. Luget Academia Rectorem prudentissimum, Capitulum Thomanum Decanum vigilansissimum, Collegium Wilhelmitanum Inspectorem fidelissimum, &c.

§. XII. ENOCHO quoque GLÆSERO Landshutensi Silesio, I^Cto Helmstadiensi, anno superioris Seculi 68. fatale existisse Magnificum Rectorale munus, Programmate exeqviis ejusdem sacro edocemur, cuius sequentem exhibet inscriptionem Wittenius in Memoriis I^Ctorum, Dec. IV. p. m. 480. *Programma ad Exequias Viri Consultissimi atque Amplissimi, Dn. Enochii Glæseri, I^Cti & in Acad. Julia Institut. Imperial. & Criminal. P. P. Ordinarii nec non p. t. Vice-Rectoris Magnifici, P. P. d. XXVII. Septemb. c^{is} I^c LXIX. à Pro-Vice-Rector & Senatu Acad.Julia. Adde D. B. T. I. ad annum. cit. lit. Aaaa, 4. a.*

§. XIII. Huic subjungendus est TACHO à GLINS, Belga, I^Ctus & Acad. Franekeranæ Professor; quem & ipsum Rectoratu fungentem Academico, superioris seculi anno tertio & septuagesimo, ad plures abiisse testis est laudatus Wittenius D. B. T. I. ad annum M. DC. LXXIII. lit. Gggg. 4. b.
2. Febr. Tacho à Glins, Belga, f. u. D. & Professor. Franekeranus, tum ACADEMIÆ RECTOR, Æt. 54. Conf. de eodem König. Bibl. p. m. 349. b.

§. XIV. Nec oblivioni tradendum censeo CÆSONEM GRAMMIUM, Tönningensem Holsatum,

tum, Phys. & Græcæ Ling. Profess. Kilonensem.
Hunc etenim, quando in eo erat, ut Magistratu Academico se abdicaret, vitæ excessisse, è Programmate funebri, d. 5. Octobr. 1673. proposito, cognoscimus. Exhibit illud in Memoriis Philosophorum Wittenius, Tom. II. Dec. IX. p. m. 566. seqq., hanc præfixam habens inscriptionem: *Programma, quo Vice-Pro-Rector & Senatus Academæ Kiloniensis ad Exequias Magnifici Academæ Pro-Rectoris, Nobiliss. Ampliss. atque Experientissimi Viri, Dn. Cæsonis Grammii, Phil. & Med. D., Physiologie & Græc. Ling. Prof. clarissimi, Gives Academicos invitat.*

§. XV. Ex funebri Programmate, STEPHANO HEINIO, Ebr. Ling. Prof., à Senatu Academæ Rostochiensis scripto (qvod Memoriarum Philos. Decadi II. inferui) eundem quoque, cum præcesset Academæ, obiisse manifestum est. Addam aliud in præsenti testimonium, è Matricula Academica, benevole mihi concessa, desumptum, qvod sequentis est tenoris: *STEPH. HEIN, ACADEMÆ RECTOR, vitam caducam cum immortali commutavit 2. Junii 1643. & ejusdem mensis humatus est. Ad latera capuli incedebant ex Senatu Academico quatuor, nempe Jo. Cothmann, Theol. D. & Professor, Joach. Schnobelius, J. D. & Prof., Joach. Stockmannus, Med. D. & Prof., M. Laur. à Bodock, Orat. Prof. Et præterea duo Doctores non-Professores, Jo. Niebuer & Jo. Wegener, Jurium Dd. Ministri Academæ sive cursores capulo anteibant, f-*

rentes sceptra Academica, sindone nigra velata & cooperta. Conf. Zinzerlingum in Fastis Rect. Lacoburg. ad dictum annum, Magnif. D. Qvisforpium in Prog. natal. 1700. lit. B. 3. a. & Wittenium D. B. T. I. ad annum M. DC. XLIII. lit. Rr. 4. a.

§. XVI. Hasso-Schaumburgicam regebat Academiam ejusdem Theologus primarius, JOANNES OTTO HENCKELIUS, Marpurgensis, quando superioris seculi Anno 83. (error enim est Wittenii, qui annum 1687. emortualem illi contigisse scribit D. B. T. II. p. 146.) die 22. Decemb. hanc linquere mortalitatem jubebatur. Suppetit mihi testimoniun ex Programmate, quo ad exeqvias eidem eundas dicto anno Cives Academicos invitavit electus eo tempore Pro-Rector, Jo. Kahlerus, quod reperio apud celeb. Götzium in Elogiis Germanorum quo-rundam Theoll. nuper editis, num. LXI. p. m. 586. seq. in haec verba : *Ea est nostrarum rerum calamitas & clades, ut sub novi anni auspicio, quo alii letitiā exultant, ego tristem & funestum Academia nostrae totig[is] Ecclesiae luctuosum casum lamentis & quaestibus cogar exponere. Occidit enim Academia Caput, RECTOR MAGNIFICUS ! Cecidit pretiosa illa FCtis Theologica gemma & Ecclesia columna, Jo. Otto Henckelius ! Extinctum est præclarum illud Ecclesia lumen, nobisque ardens sui desiderium reliquit & atrocem dolorem ! Durum & acerbum fatum, quod res nostras urget & tum, cum maximè egemus, inclytum Henckelium nobis eripit ! Quis respondebit deinceps de casibus dubiis & implexis?*

implexis? Cujus vox calamusque veritatem afferet
potentius aut exponet lucidius, aut subtilius differet?
Quis Ecclesiam ejusque negotia reget prudentius &
melius disponet? Ferimur cuncti in unius jugulo sa-
voque vulnere sauciamur. O lamentabilem obitum
& vix reparabilem tot maximarum rerum jaētu-
ram! Conticuit eheu erudita illa & facunda lin-
gva! os venerandum exaruit! docuitque hoc ipso,
immortalem vitam meritos mori quoque posse.

§. XVII. Quem primo, merita si spectanda,
loco collocare debuissemus, summum inter Nostros
Doctorem, LEONHARDUM HUTTERUM, Ul-
mensem, eum, ordinem sectantes alphabeticum,
heic demum exhibemus. Fuit vir ille primarius qvon-
dam Vitembergensis Academiae Theologus, tanto
de eadem pariter ac universa Ecclesia puriori meri-
tus opere, nulli ut maximorum haberi debeat secun-
dus. Redonatum certe qui primus dixit Lutherum
(qyas voces qvadam literarum metathesi nomen e-
jus insinuat) à veritate nullus ablusit. Nec adeo
qvicqvam, qvam qvod ejus postulaverant merita, dicit
celeberrimus Thom. Crenius, qvando assertorem Re-
ligionis nostræ & vindicem acerrimum (Exerc. III.
de Libris Script. opt. & utiliss. num. IV. p. 10.) ma-
gnum item Doctorem nostrum (Tom. V. Animadv.
c. III. §. VI. p. 199.) appellat. Sane qvantus fuerit
Theologus, aurea ejus scripta, & numero multa &
judicio edecumata, recensita Wittenio Memoriarum
Theol. Dec. I. p. 92. 93. 94. 95., abunde comprobant.
Nolim tamen impræsentiarum cum laudato Crenio
Exerc.

Exerc. I. de Libris Script. opt. num. XXX. p. 28.
 pro certo determinare, scriptum illius citra contro-
 versiam optimum esse Explicationem Formulae Con-
 cordiae; qvanqvm non ignorem, à summo Calovio
 eandem ceu lectu inprimis dignissimam commen-
 dari in aureæ Pædia Sect. II. Art. poster. c. II. can.
 III. p. m. 184. edit. Vitemb. A. 1666. 8. Id saltem
 qvoad præsens commemorare operæ duco pretium,
 eundem qvoqve Hutterum, Magnifico fungentem Re-
 cotoratu à Salvatore suo, cuius à partibus fidelissimus
 juxta ac constantissimus miles steterat, in cœlestem
 Academiam anno superioris seculi sextodecimo evo-
 catum fuisse. Testem ejus rei adduco Ambros. Rhodio-
 dum, cuius hanc repeto Programmatis, defuncto
 Rectori scripti, inscriptionem, apud Wittenium I.
 c. p. 89. reperiundam : *Programma in funere MA-
 GNIFICI HUJUS ACADEMIÆ RECTORIS, Viri
 Rev. Clariss. & Excell. Dn. Leonhardi Hutteri, SS.
 Theol. D. ejusdemqve Prof. Primarii ac Senioris,
 de universa Christi Ecclesia egregie meriti, propo-
 situm ab Ambr. Rhodio, Ph. & Med. D. & Mathem.
 super. Prof. d. XXX. Octobr. Anni M. DC. XVI.*
 Idem confirmat Epitaphium, allegatum Wittenio,
 p. 92., qvi & videri potest T. I. D. B. ad ann. 1616.
 lit. N. 2. b. Addatur Theoph. Spizelius in Templo
 Hon. p. 32. & Königius in Bibl. p. 419.

§. XVIII. Inter ICtos Rostochienses immor-
 tale nomen adeptus est LAURENTIUS KIRCHO-
 VIUS, cum aliis tum integris qvinqve Consiliorum
 Tomis ; qvos dum anno 1605. ab ipsomet Autore e-
 missos

missos afferit Königius , in Bibl. p. 446. b. , er-
torem committit , qvandoqvidem seculi sextidecimi
anno octogesimo , Rectoralia tenens sceptrum , Vir cla-
rissimus è vivis jam tum excesserat . Id vero ne frustra
dixisse videar , dabo qvæ in Matricula Univ. Rostoch.
ad Annum M. D. LXXX. seqventis tenoris adnotata
reperio : Obiit celeberrimus hic *ICTUS IN RECTO-*
RATU lue epidemica s. febri catarrhoſa , qvæ hoc
anno totam Europam infestavit & plures e medio
ſustulit ; cuius demortui vices commissæ ſunt D. Sim.
Pauli , Theol. Prof. & Superintendenti . Idem te-
ſtatur Zinzerlingius in Faſtis Rectoral. Laciburg.
ad ann. cit.

§. XIX. Kilonienses inter Theologos prin-
cipem si salutavero CHRISTIANUM KORTHOL-
TUM , Femariensem , nimium me haud diſtrum to-
tus confido . Joanni certe Fechtio , (*sufficit nomen in-*
dicasse , id enim non hominis , sed meritorum est ,
judice Magno Mayero Diff. de benedict. sacerd.
præf.) Theologus nec eruditione nec prudentia cui-
quam ſecundus audit : illiſtri Seckendorffio Doctor
maxime venerandus & de Ecclesia Christi egregie
meritus , itemqve bellator adversus hostes veritatis ,
præcipue regnum papæ felicissimus , victor invi-
ctissimus . Merita Viri Oratione parentalı in hac
Academia delineavit ejusdem gener multo clarissi-
mus , Joach. Lindemannus , ex qva , à celeb. D. Pippin-
gio Memoriar. Theol. Tomo II. Dec. V. illata , in-
telligo , Magnifico eundem Rectoratui immortuum .
Sufficienti est indicio ipſe Orationis titulus , qvem
his

conceptum verbis exhibet Pippingius p. 571. Memori am Theologi vere Christiani in Magnifico, Maxime Rev. Amplissimoque Viro, Dn. Christ. Kotholto, Doctore Theologo consummatissimo, inclite Academie Christian-Albertinae Prof. Prim. celeberrimo, Sereniss. Ducis Cimbrie Pro-Cancellario ibidem gravissimo & sub vita finem ACADEMIÆ PRORECTORI RE MAGNIFICO, ante annos, quos vivere dignus erat, magno honorum omnium mærore, Ecclesiæ suisque A. C. 1694. mense April. crepto, in solenni lugentium panegyri delineavit socii optimi gener mestissimus, Joach. Lindemannus, P. P. & Archi-Diaconus.

§. XX. Cum Theandri Lutheri beneficio lux religioni exorta denuo, ad hæc quoque loca diffundi cœpisset, in hac Academia Professorem, nescio cuius FCtis, egit D. NICOLAUS LEO, quem ipsum quoque, cum Rector præcesset Academiæ, Anno MDXXXV. defunctum, ex his Petri Lindenbergi verbis, in Chronico Rostochiensi reperiundis exeo que nuper in Progr. ad Disp. inauguralem Hanschianam, lit. A. 2. b. à Magno Fechtio repetitis, manifestum est: Erat tanta Academiæ vastitas, tantus doctorum hominum contemptus, ut Doctoris titulo nominato nescio quid nominaretur, tantaque Professorum raritas, ut unico D. Nicolao Leoni Magistratus fasces commendarentur, qui per sexennium & forsan diutius Rectorem egisset, nisi immatura morte præreptus fatum complesseret.

§. XXI. Ex cibis meis, ad classem defunctorum

ctorum in Rectoratu Academico Professorum referendis, supra produxi Joh. Cothmannum Theologum, nunc ex iisdem hujus qvondam Academiæ IC-tum celeberrimum, THOMAM LINDEMANNUM, eodem cum isto natali loco, urbe nempe Hervordensi, gavisum produco. Is vero cum A. 1632, octauum Sceptra teneret Academica, fato concessit. Producam, qvæ Magni Qvistorpii manu consignata in Matricula Academica de Nostro leguntur, seqventia:
Thomas Lindeman, J. D. & Prof., vir eruditionis, facundie, in judicando dexteritatis laude insignis & in rebus expediendis felicitate nemini secundus, RE-
CTOR ADHUC, 14. die Martii A. mo 1632. moritur &
19. ejusdem mensis in Templo Mariano humatur. Ad
latera capuli, in quo ad sepulturam corpus defereba-
tur, ex singulis Facultatibus unus incedebat, L. Jo.
Cothmann, Theologus, D. Nicol. Schütte, Jctus,
& D. Jo. Assuerus, Medicus, M. Georg. Dasenius, Phi-
losophus, & insuper duo Jurium Dd. non-Professores,
D. Levinus Battus & D. Henr. Sibrandus. Curso-
res capulum antecedebant & Academiæ sceptra sin-
done nigra induita capulo præferebant, ita ut apices
corundem terram respicerent. In hujus locum Re-
ctor Academiæ die 16. Martii 1632. electus est Jo. Qvi-
storpius, Theol. D. & Professor. Plura dabit Progr.
funebre à Senatu Acad. Rostoch. propositum. Cui
adde D. Qvistorpium in Progr. Natal. 1700. lit. B. 2.
a., Zinzerlingium in Fast. Rect. Laciburg., Witten-
um D. B. Tom. I. ad ann. 1632. lit. Ee. 2. a. &, qvæ
merita ejus in hanc Academiam delineantur, Diss.
nostram

nostram de Meritis Westphalorum in Acad. Rostoch.
(Justi in forma Tractatus paucis abhinc mensibus
B. C. D. proditum) Sect. II. p. 26. 27.

§. XXII. In Regiomontana Academia GEORGIUM LOTHUM, Medicinae Professorem non incelebrem, superioris seculi anno quarto & octogesimo ad plures abiisse, sequentibus commemorat CI. Wittenius D. B. T. I. ad ann. 1684. lit. Uuuu. 2. b. XXII. Febr. Georgius Lorb, Prussus, Regiomontanus, Phil. & Med. Doctor inque patria Medicinae Professor primarius, & tum UNIVERSITATIS RECTOR, Et. 61.

§. XXIII. SIBRANDUM quoque LUBBERTUM, Academiae olim Franekeranæ Theologum clarissimum, cum fasces gereret Rectorales mortali-
tati valedixisse ex his, à Sixtino Amama, Frisio,
Ling. Ebr. in eadem Universitate id temporis Prof.
famigeratissimo, in Praef. Anti-Barbaro biblico præ-
missa, pagg. (quæ à manu mea additæ sunt) 56. 57.
memoriae proditis, conjicio: Celebris ille Academie
nostræ, dum vixit, Theologus, D. Sibrandus Lub-
bertus, b. m., publica Oratione, qua aliquot ante
beatum suum ex hac vita excessum mensibus Recto-
ratum auspicabatur, in studiosorum mores & circa
SS. Literas socratiæ gravissime detonabat, classi-
busque insuper nimiam in admittendis qibustibet
Candidatis facilitatem objectabat. Plura de no-
stro dabit Wittenius D. B. T. I. ad annum 1625. lit.
U. 3. 4.

§. XXIV. Annus superioris seculi primus la-
beatur & vicesimus, quando Theologus & Philo-
logus

logus incomparabilis, EILHARDUS LUBINUS,
ex Comitatu Westphaliae meæ Oldenburgeni ori-
undus, hujus Academæ, quem Professor Theologus
sustinebat, Rectoratu immoriebatur. Luculenter
illud demonstrat Matricula Rostoch., in qua seqven-
tia ad annum M. DC. XXI. adscripta leguntur: D.
2. Junii circa quintam vespertinam obiit Magnifi-
cus Dn. Rector, Eilb. Lubinus, vir ob præclaras in-
genii dotes longiori vita dignissimus; eius funus
5. Junii honorifice factum. Deputati ex 4. Facul-
tatis, à lateribus tumbae funus comitatis sunt, D.
Jo. Qvistorpius, Theologus, D. Joach. Schönermar-
ekius, JCtus, D. Jo. Assuerus, Medicus, D. Azarias
Stürzius, Historicus, M. Jo. Simonius, Orator,
M. Georg. Dafenius, Mathematicus. Cursores sce-
ptræ inversa, velo serico obducta, funeri prætulerunt.
Sepultus est in foro Templi Jacobei in sepulchro FCtis
Philosophicæ. In defuncti verò Rectoris locum surro-
gatus est à Rev. Concilio Joan. Bacmeisterus, Phil. &
Med. D. ac Professor. Idem ex Progr. funebri, à
Senatu Acad. Rostoch. eidem scripto, qvod legere est
apud Wittenium in Memoriis Theoll. Dec. III. pag.
305. seqq. patescit, quo cum contende D. Qvistorpius
Progr. natalit. lit. B. I. a. Zinzerlingii Fastos Rect. La-
ciburg. ad ann. 1621. Wittenii D. B. T. I. ad eund.
ann. lit. R. I. &, si placet, Dissert. nostram de Meritis
Westphalorum Sect. I. p. 17. seqq. Plura, alii re-
servanda occasione, non est animus heic addere, præ-
ter unicum Magni Fechtii de Nostro judicium, qvod
Lubino planè dignum censeo. Habetur illud in O-

C

rat,

rat. de studio Exegetico in Academia Rostoch. semper exculto , Exegesisbus Schomerianis in Epistolas Pauli minores subnexa , seqventis tenoris : Qui hoc (Eilh. Lubini) nomen ignorat , ignorat propemodum ipsam eruditionem . Nec enim Rostochiensium Professorum quisquam , apud exterros etiam , quam hic ipse , majorem celebritatem adeptus est . Ejus quippe Antiquarius & Fax Poetica & Florilegium & Clavis Linguae Graecae & Autores illustrati , Horatius , Juvenalis , Persius , veterum Graecorum Epistole , & in superiori Germania , & in Belgio , & in Gallia , neque semel tantum , sed bis , sed ter , imò quinqvies & sexies recusa conspicuntur . Tanto tum hi libri habebantur in pretio , tantâ estimatione . Qui honor , quantum mibi constat , nemini contigit à primis Academie hujus natalibus .

§. XXV. Qvanta exstant Lyserorum in orthodoxam Ecclesiam merita , nemo est , qui ignoret . Nec id qvoqve incompertum cuiquam esse arbitror , omnes singulosqve per longissimos annorum decursus ex hac gente prognatos maximo eidem & olim fuisse & hodieq; esse ornamento , invidendamqve tum puritate doctrinæ tum innocentia vita famam consecutos , (præter unum Jo. Lyserum , Polycarpi Lyseri , Theolog. Lipsiensis celeberrimi , filium , Theol. primò Licentiatum , Pastorem ac Inspectorem Portensem , deinceps veritatis divinæ desertorē ac Polygamiæ defensorē) ut non immerito hujus in laudem familie scripsisse censeam D. Paulum Röberum in Arc. triumph. P. III. p. 1201. apud Magnif. D. Goetzium in Diff. de

Fatis

Fatis tristibus , qvæ Theologorum clarissimorum filii
subierunt , Lubec. 1706. 4to. ed. §. XVIII. p. 19. Die-
ses rühmliche Lyserische Geschlecht ist viel seeliger
und von Gott gesegneter als anderer fürnehmer Ge-
schlechter Häuser , sitemahl demselben , Gott Lob
und Danck ewiglich , keine einiger Sohn oder Tochter
oder Kindes-Kind auf dem Geschlecht geschlagen ,
ein Cham , ein Esau , eine Diana , ein Judas , ein
Schandstocken , Bube oder Bübin warden , sondern
sind alle (excepto jām dicto Apostata , ante qvem hæc
scriperat Röberus) vortreffliche Männer , und die
Töchter vornehmen Männern beygeleget , und ha-
ben wohlgerathene Kinder gezogen. Hactenus ille.
Non est propositum nobis , singulos ex ista oriundos
familia enarrare ; unius tamen mentio heic injicien-
da est , WILHELMI scil. LYSERI , Theologi Wit-
tenbergensis consummatissimi : qvem in Rectoratu
Academico anno superioris seculi XLIX. è vita ex-
cessisse credere nos jubet Wittenius in Memor. Theoll.
Dec. VI. p. 704., ubi seqvens occurrit Programmatis
exeqialis inscriptio : *Programma in obitum RE-
CTORIS MAGNIFICI , Viri plur. Rev. Ampliss. &
Excell. Dn. Wilhelmi Lyseri , SS. Theol. D. & P. P.
Electoralium Alumnorum Ephori nec non Ecclesie
cathedralis ingenuæ , qvæ Misna est , & FCtis Theol.
Decani , Viri de universa Christi Ecclesia præclare
meriti , die 8. Febr. Anno Domini M. DC. XLIX. piè
ac placide denati , propositum à Pro-Rectorre Acad.
Witb., Andrea Sennerto , Sancte atq; OO. LL. Pro-
fessore. Vide quoqve p. 711. 712. ubi Epitaphium*

C 2

Lysero

Lysero scriptum cernitur, & D. B. T. I. ad ann. cit.
lit. Yy. 3. b.

S. XXVI. Qvod vulgo dicitur, præcocos
doctos μηνεστίας plerumque existere, idem suo e-
xemplu probavit æternæ memoriarum Theologus
Φίλος Φίλωμετρος, BALTHASAR MEISNERUS,
Dreldensis. Sobriam sanè Philosophiam Juvenis con-
scripsit; qvæ quanto nihilominus habita fuerit in pretio
summis ejus ætatis Theologis & Philosophis, honori-
fica eorundem elogia libro præfixa luculento sunt in-
dicio. Supremum in Philosophia honorem (qvod
primò erat loco commemorandum) septendecim an-
norum adolescens cum maximo (ut loquitur Wecke-
rus loco mox citando) omnium applausu, & non
multò post FCtis Phil. Adjuncturam in Acad. Wit-
teb. obtinuit. Cumqve alias deinceps lustrasset A-
cademias, in eadem Leucorea Ethicam Ao. 1611.
Theologiam verò biennio post profiteri jussus est.
Qvam posteriorem spartam tam variis tamqve edeci-
matis ornavit scriptis, ut inter summos superioris se-
culi Theologos computari meruerit. Præmatura
verò (qvod dolendum) morte Ecclesiæ nostræ ere-
ptus est, annos nondum natus quadraginta, 1626.
(errat enim Königius, qvi uno quadragenario ma-
jorem anno obiisse Nostrum 1628. assertit, in Bibl.
p. 526. b.) & eō qvidem tempore, qvo Rector Aca-
demiarum præerat. Adeamus Wittenium, qvi in Me-
mor. Theoll. Dec. II.p. 214. sqq. Programma exeqviis
Meisheri sacrum exhibit, hoc ornatum titulo: Pro-
gramma,

infunere MAGNIFICI ACADEMIÆ RECTORIS,
Viri plur. Rev. Clarissimi & Excell. Dn. Balthas. Meisneri, SS. Theol. D. & Prof. eximii, de Ecclesia Christi optimè meriti, propositum à Georg. Weckero, Phil. & Med. D. & P.P., jàm Acad. Witteb. Pro-Rector, d. II. Jan. 1627. In ipso vero Progr. p. 215. hæc lego:
Cujus quidem cùm sèpè alias acerba perqvam & luctuosa documenta dedimus, tùm hoc potissimum edimus die, qvò Balth. Meisnerum, Theologum longe clarissimum & Academiæ hujus non modo Rectorem Magnificum, sed decus ac lumen ingens efferendum habemus ac tumulandum. Qvibus jungi potest Epitaphium à Jac. Martini nostro scriptum, qvod idem suppeditat Wittenius p. 219. Conf. D. B. T. I. ad ann. 1626. lit. Y. 3. b. Plura dabit Erasmus Schmidius Orat. memoriae Meisneri 20. Febr. 1627. hab., Spizelius in Templo Hon. p. 60. Steph. Hane in Threnologia, p. 16. Micraelius H. E. p. 778. Crenius Animadv. T. VIII. p. 187. seq. & Exerc. I. de Libris Script. opt. num. XXXIV. p. 30.

§. XXVII. COELESTINUM MISLENTAM,
qvod, nobili apud Borussos prosapia oriundus, studia theologica haud fuerit aspernatus, sed tanto iisdem fervore addictus, ut Professione apud Regionarios defungi maxima cum nominis gloria potuerit, in Bibliotheca Nobilium Theologorum, qvantquam laudibus tanti viri, decantandis pro merito, impar, celebravi. In præsenti qvod de eodem mentionem faciam, non alia id sit de causa, qvam qvod
A. 1653. copse, qvo Academicum depositurus erat

C 3

Recto

Rectoratum, die mortalitatem deposuerit. Ita enim Pro-Rector & Senatus Academiæ Regiomontanae in Progr. fun. apud Wittenium Memor. Theoll. Dec. VIII. p. 1057. Et videte admiranda eternæ Providentiae consilia, qvibus vitæ motisqve tempora dispensat. Quo die Nobilissimus, Plur. Rev. ac Excell. Dn. Cœlestinus Mislenta, SS. Theol. D. & P.P. clarissimus, Pastor Ecclesiæ Cathedralis fidelissimus, venerandi Consistorii Sambiensis Aſſessor meritissimus, Theologus modis omnibus incomparabilis ac acerrimus Orthodoxias defensor, Collega quoniam noster honoratissimus, nunc beatissimus, difficillimus RECTORATUS ACADEMICI moleſtii, ſe per vires licuſſet, ſe exuturus ac ſolenni renuntiatione vanos ac onerosos vite hujus honores depositurus fuiffet: eodem mortalitatem ipsam exuens, ad illuſtrissimos eosque eternos cœli honores morte beatissima eſt erectus. Plura vide apud eundem Wittenium I. c. & p. 1069. 1070., D. B. T. I. ad annum 1653. lit. Eee. 1. 2. &, ſi lubet, in Bibl. nostr. Nobilium Theoll. Sect. II. c. I. §. XXI. p. 180. ſqq. inqve Hypomnematis ad eandem p. 508. ſqq.

§. XXVIII. Quem Auguſtanæ Confessionis exhibito inclytum reddidit, annus ſeculi ſextidecimæ tricesimus agebatur, cum in Rectoratu Academiæ Rroſtoch. vita excederet BARTHOLDUS MOLLERUS Hamburgenſis, Theol. D., Cathedralis in Patria Basilice primum Lector, dehinc hujus Acad. Prof. Facultatisqve Theol. & Ecclesiæ Collegiatæ Decanus. Dabo, qvæ hac de re singula in Matri-
eula

cula Acad. Rost. ad annum M. D. XXX. consignata legere licuit. Sunt vero seqventia: *Dn. Doctor Bartholdus Möller obiit in RECTORATI Anno Domini XXX. ipso die Gregorii & suos non inscripsit de toto.* Vide Zinzerlingium in Fastis Rectoral. ad d. a. & Jo. Möllerum Flensburgensem in Semi-Centuria clarorum Möllerorum, Appendix loco Homonymoscopiae sub juncta, p. m. 941.

§. XXIX. Ordine jam produco CHRISTOPHORUM PREIBISIUM, Sprotta Silesium, Phil. & J. U. D. Phys. Prof. Publ., Collegii B. M. V. Collegiatum, FCtis Juridicæ & Nationis Polonicæ Seniorem, Comitem Pal. Cæs. & S. Rom. Imperii Exemptum, qvi omnium primus inter Lipsiensis Academiac Rectores obiit A. 1651. Seqventibus id confirmat Max. Rev. D. Pippingius in Syllabo Rectorum Acad. Lips., Exercitationibus Academicis sub juncto, p. 452. seqq: Sed paulo mihi subsistendum heic venire arbitror, qvando sub ipso hoc Rectore evenit, qvod inde à prima Academiac fundatione nemo adhucdum inaudiverat. Floruerat ista per annos ducentos quadraginta & unum, & tam diurno temporis decursu omnes ejus Rectores purpuram suam ipsi haec tenus exuerant Sceptraque diebus Georgii & Galli, qibus semestre regimen in alios humeros transfertur, posuerant. Qvæ nullius morte interrupta successio Rectorem Lipsiensem qvodam quasi proverbio domi forisque trito *immortalem* fecerat. Ast anni præsentis 1651. Calendæ Martiæ præscriptionem gloriose vocis luctuoso interrumpebant e-

xemplio, nostramque Academiam experiri istud in Preibisio faciebant, qvod in Caspare atqve Thoma Bartholinis Academia Hafniensis - aliaeque expertæ sunt in aliis, qvos durante Rectoratus functione è vivis emigrare conspererunt. Pari namque ratione & inter Lipsienses Rectores mortalem se esse primus demonstrabat Preibisius, cuius effigies columnæ Templi Academicæ à tergo Münsterbergii affixa purpureaque & reliquo splendore Rectorali instructa Rectorum oculis, qvando ad consuetum in solennitatibus plenisque publicis locum occupandum pergunt, palam se ingerit ac præter ejus nomen seqventem etiam inscriptionem complectitur: *Hac erat facie.*
Vir. candidus. ac. apertus. hoc. utebatur. habitu.
privatus. tanquam. Exemplum. Ævi. prioris. sim-
plici. publica. Persona. purpureo. qvem. non. nisi. cum.
vita. publicæ. Rei. immortuus. ultimum. depositus.
PRIMUS. RECTORUM. ab. Academia. condita.
per. CCXLI. annos. qvi. tantum. fastigium. fatis.
inferius. esse. suo. exemplo. docuit. Calendis. Martii.
An. M. DC. LI. mortuus. in. Domino. juxta. Sym-
bolum. IN. MANIBUS. DOMINI. SORTES. MEÆ.
L. M. Q. P. C. Relicti. Lipsiæ. Agnati. Christoph.
G. Johann. Preibisi. Affines. J. A. Scherzer. G.
V. Alberti. Professores. publ. Pro-Rectoris interea vices in defuncti locum administravit Jo. Hoppius, Leorinus Silesius, Med. Doctor & Prof. Publ. Haetenus Pippingius. Conf. & Wittenius D. B. T. L. ad annum cit. & König. in Bibl. p. 663. a.

S. XXX. Non decet nos dememinisse ins-

gnis

gnis & cordati heu ! qvondam Academæ hujus
Theologi , JOHANNIS QVISTORPII , Parente co-
gnomine , vel solis annotationibus biblicis immor-
tale nomen adepto , nati . Nam & illum prius de-
posuisse mortalitatem , qvam purpuram exuerat Aca-
demicam , clare satis innuunt Universitatis membranae ,
in qvibus hæc adnotata leguntur : Joannes Qvi-
storpius durante adhuc Rectoru[m] moritur Anno
1669. die 24. Decembr. & 4. Jan. A. 1670. in Tem-
plo Mariano humatur . Ad latera capuli , in quo
exanime ejus corpus efferebatur , incedebant ex Se-
natu Academico Professores , D. Jo. Jac. Döbelius ,
Medicus , L. Zach. Grapius , Philosophus ille qui-
dem , sed , ut abseniam Theologi pensaret , adhibi-
tus , M. Herm. Becker , Phys. & Metaph. Professor ;
-- qvibus ex Doctorum non-Professorum ordine ad-
diti duo alii , Jo. Buek , J. U. D. & Henr. Hasertz ,
J. U. Lic. Capulo anteibant Ministri Academie seu
Cursores , ferentes sceptra Academica sindone nigra
cooperta , ita ut apices eorundem terram respicerent .
In hujus locum extra ordinem electus die 26. De-
cemb. A. 1669. est Rector Universitatis Rostoch. Henr.
Müller , Theol. D. & Professor . Cujus & Progr.
in funere defuncti Rectoris propositum videri potest ,
qvod Memoriis Theoll. Dec. XIII. p. 1679. sqq. in-
seruit Wittenius . Adde D. Qvistorpii , filii , Progr.
natal. saepius cit. lit. C. 2. a. , Zinzerlingii Fastos
Rect. ad annum 1670. , Celeb. D. Grapii Evange-
lisch Rostock p. 188. seq. & 559. ut & Wittenii D.
B. T. I. ad annum 1669. lit. Cccc. 2.

§. XXXI. Inter Philosophos Regiomontanos
inclytum est nomen JACOBI REICHII, qvem, Ma-
gnifico fungentem Academiæ Rectoratu, defunctum
seqventibus verbis memorat Wittenius D. B. T.
II. ad dictum ann. p. 181. Jacobus Reich, Prussus,
Regiomontanus, Phil. Mag. Eloq. in Academia pa-
tria Professor & tūm RECTOR MAGNIFICUS,
Æt. 56.

§. XXXII. Ex Academiæ Hafniensis Profes-
soribus, durante Rectoratu extinctis, nonnullos
supra produximus. Illis verò adnumerandus nunc
est WOLFGANGUS (Jo. Wolfgangum vocat Wit-
tenius D. B. T. I. ad annum 1637. lit. Ll. 2. a.) RHU-
MANNUS, Dialect. ibidem Professor, de quo hunc
in modum Möllerus in Hypomn. ad Bartholini li-
brum de Script. Dan. p. m. 466. Wolfgangus Rhu-
mannus, Coldingā Cimber, A. 1572. natus Professor
Academiæ Hafn. ab anno 1607. paedagogicus, ab anno
1608. Rheticus, & ab anno 1634. Dialecticus, Ar-
noldi, Lectoris Theologi Ræskildensis, Româ Atticâ
opere posthumo ἀνεκδότῳ de literis benè meriti pa-
rens, peste d. 4. Jul. Anno. 1637. æt. 65. in tertio ACA-
DEMIAE RECTORATU est extinctus. Prolixiorem
vitæ ejus (qvam ex Ol. Wormii Progr. funebri Vin-
dingius in Acad. Hafn. p. 221 -- 225. exhibet) scri-
ptorumque (de qvibus interim videri potest Barthol.
de Scriptis Danorum p. m. 149. 150.) omnium recen-
sum Cimbriæ Literatae reservamus.

§. XXXIII. Triennium est, & qvod excur-
rit, cùm obitum Magnifici Lipsiensis Academiæ Re-
ctoris

storis, JOAN. CHRISTIANI SCHAMBERGII,
Professoris Medici famigeratissimi, relationes ordi-
nariæ nunciarent. Eum postea magnificè human-
dum publico Progr. indixit constitutus in locum de-
functi Pro-Rector, cuius in fronte seqvens cernitur
inscriptio: Pro-Rector Universitatis Lipsiensis RE-
CTOREM qvondam MAGNIFICUM, Dn. Jo.
Christ. Schambergium Phil. & Med. Doctorem, A-
natomiæ, Chirurgiæ & Chimiæ Prof. Publ. Ordin.,
FCtis Medicæ Assessorum optimè meritum hora i. ho-
die XXVI. Aug. 1610ccVI. funere publico efferen-
dum Civibus Academicis indicit.

§. XXXIV. Schambergium excipit BAL-
THASAR SCHEIDILIS, Philologus Argentinensi-
um celeberrimus, quem in Rectorali versantem mu-
nere è vivis emigrasse, itidem testatur Programma,
in ejus funere d. 29. Novembr. 1670. publicatum,
qvod seqvente gaudet titulo, apud VVittenium Me-
mor. Philos. Tom. II. Dec. IX. p. m. 550. legendo:
Programma, qvō ad exeqvias MAGNIFICI RE-
CTORIS, Viri Plur. Reverendi, Ampliss. Excell.
Dn. Balthas. Scheidii, S.S. Theol. Doct. Græcæ atq;
OO. LL. Prof. celeberrimi, Cives Academicos invi-
tat Pro-Rector Univ. Argentoratensis, Joh. Rudol-
phus Saltzmannus, D. Prof. & FCtis Medicæ Af-
fessor. Vide ejusdem Wittenii D.B. Tom. I, ad ann.
M.DC.LXX. lit. Dddd. 3. b.

§. XXXV. Secundus inter Lipsiensis Acade-
miae Rectores fato functos, qvamvis tertio nunc loco
commemorandus, est GODOFREDUS SCHILTE-
RUS,

RUS, Landshutā Silesius, de qvo, anno superioris
seculi nono & septuagesimo, & vicesimo quidem se-
cundo Aprilis die, magnificè elato, sequentia com-
memorat notatu digna summus D. Pippingius I. c.
p. m. 462. seqq : Atque heic ulterius perrecturo re-
mora mihi denuò injicitur. Etenim in Schiltero
fatum idem, quod in Preibisio, subire necessum ha-
buit Lipsiensis Academia, dum Capite hoc suo d.
IX. Aprilis A. 1679. hora noctis dimidia secunda or-
bata, funus ejus aliquot dierum spatio interjecto his
verbis intimavit: Academia Lipsiensis Rectorem su-
um Dn. Godofredum Schilterum, J. U. D. & Profes-
sorem publ. Collegii B. Virginis Collegiatum, Fu-
nere publico d. 22. hodierno Aprilis horà prima effe-
rendum Proceribus & Civibus suis indicit. Eram tunc
vix undecim annorum puer; sed pompæ tamen fune-
bris mens mea satis adhuc recordatur. Murmur cam-
panarum & tinnitum, cantiones parentantes mortuis,
Iessum & nærias videor mihi adhuc audire ac funus
illustre coram intueri. Serenissimi Saxoniæ Electoris,
Johannis Georgii II. & Johannis Georgii III. Elec-
toralis Dignitatis Hæredis, & Augusti, Christiani,
Mauritii, Reverendissimorum ac Serenissimorum
Saxoniæ Ducum, Legati, trium item Capitulorum
Misenensis, Martisburgensis & Cizenfis, inclutarum-
que Academiarum, VVittebergensis & Jenensis, Ab-
legati incedebant pullatis vestibus. Flos ingenuæ Ju-
ventutis, Adolescentes Juvenesque nobilissimi magno
numero triste quid in fronte & vestitu præ se ferentes,
Clerum hujus urbis, veneranda Capita, insolito e-
xempli

❧ (o) ❧

xempli antecedebant. Funus post deducebatur. Quidriga, feretrum trahens & pannis involuta feralibus, syrmate radebat terram. Currus funebris pullatus totus insignia gerebat elegantissimè qvidem depicta, sed quæ luctum Academiae & qvatuor in ea Nationum atqve FCtum tristissimè exprimebant. Sceptra Rectori alias in festivitatibus preferri solemnissimis solita in manibus famulorum in ferales bacilos abierant, nigraque conspiciebantur. Exeqviatores, qvos Academia, Curia, oppidum totum, pagi denique Universitatis non exiguo numero ex utroqve sexu præsentes stiterant, acerbitatem luctus sui magnitudinemqve incessu tristi habituqve luculenter testabantur. Quæ singula ab annis hinc viginti atqve amplius repeto verbis, quæ maxima ex parte B. D. Val. Alberti me debere lubens fateor, qui ad hunc ferè modum ao. 1680. eo ipso die, in quem superiori anno pompa isthac funebris inciderat, Orationis suæ, Rectoris hujus Academiae Lipsiensis uni, quem vocat, secundi, minus hoc nomine secundi, memoriam jussu & autoritate Academiae in splendidissima panegyri celebrantis, Exordium fecit. Hæc ille. Conf. & VVittenium D. B. T. I. ad ann. cit.

S. XXXVI. Schiltero associandus est JACOBUS SCHOPPERUS, Academiae Altdorfinæ ad annum usqve 1616., quo Rector decessit, Theologus. De eo hunc in modum Königius in Bibl. p. m. 737. Schopperus (Jac.) Biberacensis, celebris Theologus, A. 1616. obiit. Altdorfi Theologiam professus & Pastoratu functus est. -- Epitaphium ejus ita sonabat:

Domini-

Domini Jacobi Schopperi p. m. SS. Theol. Doctoris & in Academia Altdorfina primarii Professoris, ibidemque p. t. MAGNIFICI RECTORIS, corpus hoc in loco sepultum est. Qvi A. C. 1545. 1. Nov. Biberaci est natus, A. vero 1616. 32. Sept. Ætatis 71. Altdorfi pie in Christo denatus spe lætissimæ resurrectionis. Conf. Wittenius D. B. T. I. ad d. a. lit. N. 2. a.

§. XXXVII. Locum quoque heic concedendum existimo celeberrimo olim apud Wittebergen-
ses Naturalis Philosophiæ Doctori JOANNI SPER-
LINGIO, Thuringo. Namque eundem, cum istam
regeret Academiam, mortalem esse desisse luculent-
to indicio est funebre Præ programma , à Wittenio in
Memor. Philos. T. II. Dec. VII. p. 296. sqq. exhibitum,
cui seqvens præmittitur rubrum : *Præ programma in o-
bitum MAGNIFICI RECTORIS, Viri Amplissimi,
Excell. atque Præclarissimi, Dn. M. Jo. Sperlingii,
Phys. Prof. celeberrimi (Dom. X. post. Trin. A.
1658.) propos. à Pro-Rectorre Acad. Witteb., Mich. Sen-
nerto, Anatom. & Botan. Prof. Publ. Conf. ejus-
dem Diar. biogr. ad d. a. lit. Mmm. 1. b.*

§. XXXVIII. Præcesserat in eadem Leucorea
Sperlingium ex ICtorum ordine JOANN. STRAU-
CHIUS, Wittebergenfis, anno superioris Seculi no-
no & tricesimo denatus. Allegabo eam in rem i-
nitialia Exeq. Progr. verba, quæ ita sonant : Dum
viri Magnifici, Ampliss. ac Excellentissimi, Joh.
Strauchii, J. U. D. Sereniss. Saxoniae Ducis Electo-
ris Consiliarii, Collegii Juridici Ordinarii & De-
cretal.

(o)

cretal. Publ. Prof., ACADEMIÆ h. t. RECTORIS,
promulgandus obitus ex more & indicendum ejus
funus est, usqve adeo & insperati luctus magni-
tudine & anxio futurorum metu attoniti oppressi-
que sumus, ut vix dispicere, vix comminisci liceat,
ecqvid oporteat præfari, nec alienum nostro tempore,
& satis efficax ad demonstrandum dolorem cum, qvo
nunc turbati iterum mirifice atqve confusi omnes
sumus. Magna profecto calamitas est, qvæ denuo
ingruit Academiæ, multoqve adactum altius vulnus,
qvam ut curari ex facili aut persanari ita possit, ut
nihil infirmitatis amplius atqve languoris in corpo-
re reliquo maneat. Enimvero fuit in Strauchio no-
stro rara atqve excellens optimarum artium eruditio,
Juris civilis peritia incredibilis, tanta virtus præterea
& qvidam qvæsi indomitus recti amor ac justi, ut
breviter ac obiter recenseri nec possit sane nec debeat.
Ita Academiæ Pro-Rector, Marcus Banzerus, Me-
dic. D. & P. P. apud VVittenium in Memor. ICto-
rum renov. Dec. II. p. m. 212. 213. Videri quoqve me-
retur Epitaphium apud eundem p. 218. & D. B. T. I.
ad annum 1639. lit. Nn. 4. a.

§. XXXIX. Ex Academia Franekerana bi-
nos supra huc retulimus Doctores; jam ex eadem pro-
deat ARNOLDUS VERHELIUS, Phil. Prof. Pri-
marius. Nam & hunc superioris seculi anno quarto
& sexagesimo, Magistratum Academicum gerentem,
vita excessisse affirmat VVittenius D. B. T. I. ad ann.
1664. lit. lluu. i. a. his verbis: *Arnoldus Verhel, Bel-*
ga Amisfortensis, Phil. in Academia Franekerana
Prof.

*Prof. Prim., tum RECTOR MAGNIFICUS, Et.
84. Prof. 47.*


§.XL. Purpura fulgebat Academica ALBERTUS VOIGTIUS, Westph., Theologus Gryphiswaldensis, cum anno superioris seculi sexto & septuagesimo, qvicqvid mortale est, deponeret. Patet hoc vel ex solo Programmatis exeqvialis rubro, qvod hujus legitur tenoris apud Excell. D. Götzium in Elogiis Germanorum qvorundam Theoll. nuperrime editis, num. L. p. m. 486: Programma, qvo Pro-Rector & Senatus Academiæ Gryphiswaldensis ad sacra funeralia Reverendi admodum, Ampliss. Excellentissimique Viri, Dn. Alberti Voigt, SS. Theol. Lic. ac Prof. celeberrimi, ad D. Jacobi Pastoris vigilantissimi, RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICI, & inter eos, qui post primum secundumque hujus seculum Magistratum cum vita deposuerunt, tertii, in tertio vero primi, cum funebris ceremonia An. 1676. d. 12. Junii in Æde Div. Nicolai, qvicqvid mortale reliquerat, deponeretur, Cives suos serio invitat. Vide & Wittenium D. B. T. I. ad annum 1676. lit. Llll. 4. b. & Königium in Bibl. p. 854. a.

Atque haec hactenus de Doctoribus Academicis in Magnifico & splendido Magistratus munere dentis. Qibus plura adhuc exempla addi posse nulli ut diffitemur: ita data posthac occasione eadem nos suppeditaturos spondemus, nil nunc adentes nisi illud:

Sit soli summo Gloria summa Deo!

- (o) -





a Justitia Cu-
stode HAFNI-
eo lecturis fa-
tis facient Wilhelmi W
Georgii Hannæi, Med.
nienium, Orationes in
simus Vindingius in Aca-
nostra debemus, Jo. Möll-
linum, l. c. Qvi p. 417. 4
laudes nostri excurrit: 2
Medicorum nostræ etatis
oris, Scrutatoris natura-
fertissimi, Poëtae & in La-
ingeniosi, Antiquarii insi-
atque laboriosissimi, nec o-
rem etiam isti vita mor-
mendandi, merita in Lit-
ut laudibus nostris indige-
censu, quale instituti nos-
ant enumerari. Nomen
strius, si Tych. Brabeum
qua ipso superstite studia
ab eo & discipulis i^zoxw^r
Segero, Henr. Moinichenio
Wormio, Olao Borrichio, N
cobo, felicissime exculta,
um Europæ reliquarum flo-
restare potest Septentrio.
§. IV. Succedit DA
giomontanus, ab anno supe-
qvagessimo usque ad septua-

093
05 15000
uB Rostock

a Justitia Cu-
stode HAFNI-
eo lecturis fa-
tis facient Wilhelmi W
Georgii Hannæi, Med.
nienium, Orationes in
simus Vindingius in Aca-
nostra debemus, Jo. Möll-
linum, l. c. Qvi p. 417. 4
laudes nostri excurrit: 2
Medicorum nostræ etatis
oris, Scrutatoris natura-
fertissimi, Poëtae & in La-
ingeniosi, Antiquarii insi-
atque laboriosissimi, nec o-
rem etiam isti vita mor-
mendandi, merita in Lit-
ut laudibus nostris indige-
censu, quale instituti nos-
ant enumerari. Nomen
strius, si Tych. Brabeum
qua ipso superstite studia
ab eo & discipulis i^zoxw^r
Segero, Henr. Moinichenio
Wormio, Olao Borrichio, N
cobo, felicissime exculta,
um Europæ reliquarum flo-
restare potest Septentrio.
§. IV. Succedit DA
giomontanus, ab anno supe-
qvagessimo usque ad septua-

ERUS, Re-
tio & qvini-
ademia pa-
tria